

possint extingwere hanc caritatem ¹²⁶); *fortis est*, inquit sapiens, *ut mors dileccio* ¹²⁷).

(24) *Magnificatus, exaltatus et sublimatus est rex Salomon noster ut super omnes reges, cuius vultum desiderat universa terra* ¹²⁸). Et ut verbis Iob utar de ipso: *non conferetur cunctis Indie coloribus*, id est mundi sapientibus, *non lapidi sardo[n]ico precioso*, id est alicui principi, *non saphiro*, id est alicui regi, *non adequabitur ei aurum vel vitrum* ¹²⁹), id est alicuius sapiencia vel intelligencia luculenta; cui sedenti in trono dignitatis acclamandum est: Vivat, vivat imperator Fr[idericus] ¹³⁰) et dies eius multiplicentur et anni filiorum, quibus dominus augeat annos multos ¹³¹), qui inpremeditados annos regi addidit Ezechie ¹³²); in ipso enim vivimus, movemur et sumus ^a) ¹³³).

(25) In commendacione vestra, felix et omni laude dignissime imperator, pre nimia multitudine deficit sensus meus, quia habundancia cordis oris angustia obseratur ¹³⁴), sicut dicit Crisostomus ^b): *multa intelligo, que non sufficiam explicare* ¹³⁵). Sic Moyses non poterat verba domini exprimere factus tardioris et inpericioris lingwe ab heri et nudiustercius ¹³⁶). Et utinam alter Aaron michi in subsidium preberetur, qui omnia vestra clara digne et ut dignum est declararet. Sed ut in verbo unico multa verba succingam, dicam illud quod habetur in libro regum: *non fuit tale opus in universa terra* ¹³⁷), id est, non fuit talis terrenus dominus neque erit.

Ecce dilectissime domine, memoriam suavitatis vestre eructavi ¹³⁸), dignitatem, sapienciam et potenciam vestram enarravi, ut annuncietur in Syon perpetuo nomen vestrum et laus in Iherusalem ¹³⁹), ut exhylerent suas facies in oleo fame vestre, et pane vestre magnificencie principes confirmentur ¹⁴⁰).

Accipiatis ergo, dilectissime domine, de mea paupertate quod habeo, et cum celesti rege pauperis Marthe obsequia minime contempnatis ¹⁴¹).

^a) sumus mit Kürzungsstrich Hs. ^b) Criso mit Kürzungszeichen Hs.

¹²⁶) Cant. 8, 7; vgl. HB. 107, 51—54. ¹²⁷) Cant. 8, 6. ¹²⁸) 3. Reg. 10, 23—24. ¹²⁹) Iob 28, 16—17. ¹³⁰) Vgl. HB. 107, 54—55. ¹³¹) Deut. 11, 21; HB. 107, 43—45. ¹³²) Vgl. 4. Reg. 20, 6. ¹³³) Act. 17, 28. — Der Kaiser als singulare spiraculum vite der Untertanen vgl. (C. Carcani), Constitutiones Regum regni utriusque Siciliae ... (Neapel 1786) S. 73 Z. 6—8. ¹³⁴) Vgl. Matth. 12, 34; Luc. 6, 45. ¹³⁵) Nicht nachgewiesen. ¹³⁶) Exod. 4, 10. ¹³⁷) 3. Reg. 10, 20. ¹³⁸) Ps. 144, 7. ¹³⁹) Ps. 101, 22; vgl. HB. 107, 54—55. ¹⁴⁰) Ps. 103, 15. ¹⁴¹) Vgl. Luc. 10, 38—42.